



Disputatio medica inauguralis de asthmate

<https://hdl.handle.net/1874/347258>

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S ,
D E

45.

A S T H M A T E ,

Q U A M ,

D I V I N O F A V E N T E N U M I N E ,

E x auctoritate Magnifici D. Rectoris ,

D. H E R M A N N I v a n H A L E N ,

S. S. Theologiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in inclita Academia

Ultrajectina Professoris Ordinarii , Verbique Divini ibidem in

Ecclesia Praeconis ,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum consensu , Nobilissimaeque

Facultatis MEDICÆ Decreto ,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in M E D I C I N A Honoribus & Privilegiis

ritè & legitimè consequendis ,

Eruditorum examini subjicit

J OHANNES M O O L E N A A R , AMSTELOD.

Ad diem 14. Decembris , hora locoque solitis .



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina F R A N C I S C I H A L M A , Academiæ
Typographi , cō Ioc Lxxxix.

Venerando Parenti,
D. GERBRANDO
MOOLENAAR,
Mercatori apud Amsteloda-
menses æquissimo , Mæcena-
ti unico , in æternum colen-
do,
NEC NON,
D. JOHANNI
van HENSBEECK,
Mercatori vigilantissimo , A-
vunculo dilectissimo , nun-
quam non venerando ,

Inauguralem hanc disputationem
Offert & inscribit
JOHANNES MOOLENAAR,
Academicus
Typographi Author.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

D E

ASTHMA TE.

THESES I.



Uam necessaria sit vitæ humanae Respiratio , videmus in jam jam nascituro foetu, in quo animadvertisimus , quanta calcitratione membranas , quibus involvitur , disrumpat , sibi que liberiorem respirationem acquirat. Hanc respirandi necessitatem quoque notavit Galenus , *de Loc. affect. cap. 5.* quum inquit : *Respirantem non vivere , & viventem non Respirare , impossibile est.*

A 2 II. Quam

DISPUTATIO MEDICA

I I.

Quam horrendum ergò , quamque terrible respirationis sit impedimentum , clarissimè nobis ab iis, qui hinc laborant, innotescit; sic ut in hisce rerum angustiis constitutis , tanquam à terræ motu concutiantur cum respirationis organa , tum & ipsa præcordia : quemadmodum hoc nobis ostendit tristissimus ille morbus , A S T H M A ; de quo in inaugurali hac disputatione differere gestit animus.

I I I.

A S T H M A Græcis ab ασθμέιν quod est anhelare sive difficulter respirare ; Latinis Anhelatio , Suspirium ; Belgis Aemborstigheydt , nuncupatum. Is autem affectus est illa respirandi difficultas , quæ ab obstruzione bronchiorum pulmonis ortum dicit , cum sibilo , & tussi (qua subinde aliquid excernitur , aliquando nihil) sine febre.

I V.

Causa verò tristissimi hujus affectus , est Obstructio bronchiorum pulmonis , unde prohibetur , quo minus inspiratus aér pertransire , hinc & sanguini permisceri possit , quapropter in summis angustiis

gustiis patiens relinquitur, sic ut ob defectum vitalis auræ stagnare sanguis, & ipse in suffocationis periculo constitutus videatur: id quod manifestum est, quum non nisi maxima cum molestia & quidem cum sibilo spiritum ducere queat hoc morbo laborans.

V.

Obstruuntur autem pulmonis bronchia ab humoribus quandoquè viscidis & pituitosis, ex tota sanguinis massa huc depositis; quandoque serosis, cum ex sanguine, tum ex capite eo confluentibus, & viam inspirato aëri præcludentibus. Nonnunquam viæ hæ penitus occluduntur ab halitibus, flatibusvè; sive ii ab humore in dicta organa decumbente eleventur atquè elevati ita distendant trachæam, ut transitus aëri detur nullus; sive à tenui intestino, per ventriculum & Oesophagumque elevati, ac unâ cum aère in pulmone collecti sint; sivè ab eodem tenui intestino, per venas lacteas, ductumque thoracicum in cor, hinc in pulmonem, & asperam arteriam ferantur, quam vehementer obstruunt. Adhæc inter causas Asthmatis merito numeratur halitus mercurialis, vel alius quivis mineralis ac venenatus, qui bronchia obstruere, nec non aërem ità inficere potis est, ut vitalem sanguinis flammulam amplius sustinere non valeat. Denique & Asthma sine qua vis notabili pulmonis labe accedit, atquè hic mor-

6 DISPUTATIO MEDICA

bus nonnunquam mere est convulsivus, ejusque insultus solummodo excitatur, quoniam fibræ nervæ pulmonis bronchia circumligantes, à colluvie serosa aut alia materia morbifica, particulis explosivis referta obseßæ, in cœbros spasmos irritantur, sicque ea nimis coarctant, & non raro peritus constringunt.

V I.

Cæterum affectus hic ex præcedentibus satis innotescit. Scimus equidem, quod horrendus & periculosis sit: nam fundamenta & columnæ vitæ nostræ in magno destructionis periculo constituantur, inveteratus vero vix unquam curatur. Itaque Asthma chronicus sœpè in cachexiam, aut hydropem degenerat. Asthamati pleuritis, aut peripneumonia superveniens lethalis, quia pulmo à longo morbo debilitatus non potest gravissimo morbo supervenienti resistere, & materiam morbificam expellere; Juvenes aliquando liberantur, & non sine magno labore; senes vero nunquam.

V I: I.

Quoad Curationem: ea duplex est observanda, altera nimirum in paroxysmo, altera extra paroxysmum. In paroxysmo igitur symptomata ut mitigentur,

INAUGURALIS.

gentur, rectâ sese Patientes & capite non declivi in sedili prosternant, atque in cubiculo non depresso, omni fumo, omnibusque vaporibus libero quiescat.

V I I I.

Sed ut pulmones ab omni incubente, cum intrinseco tum extrinseco, immunes serventur, vestes solvantur; at abstinentia à venæ sectione quia patientem nullo modo à symptomatum furore liberare potest: nam causa non hæret in substantia pulmonis, sed in bronchiis, neque oritur ex sanguine in pulmone abundante, neque in ipsis bronchiis, sed ab humoribus, vel flatibus & vaporibus. Tamen suffocatione imminente, aliquando locum habet, præsertim in corpore plethorico. Purgatio & Vomitorium in paroxysmo nullum habere locum non est quod dubitemus: si autem alvus pro more non respondeat, Clyster injiciendus. Interim & humores crassi liquandi & attenuandi, atquè discutiendi; in quem usum utiliter adhibeatur *Aqua Cinamomi* ex cochleari, per se, vel cum *syrupo violarum*,

V.G. &c aq. Cinamo. 3ij.

syrup. violar. 3fl.

misceantur.

Loco *Syrupi Violarum* admisceri poterit *Oxymel ad dyspnæam* ad lentos humores potentius incidendos. Utile quoque est *oleum salviae, Roris marini*

8 DISPUTATIO MEDICA

marini vel anisi ad guttulas iij. vel iiiij. cum vino exhibutum.

Alii commendant croci tincturam cum vino ex cochlear exhibitam, vel sequenti utatur mixturâ Paten.

R. aq. hyssopi. 3ij.

fæniculi : 3ij.

tinctur: croc. 3vi.

Ol. anisi: gt. x.

syrup. hyssop. 3j.

Misceantur.

Si tamen ita gravis sit affectus, ut metus sit suffocationis, tunc isti mixturæ admisceantur *grana* iij. aut iij. *moschi*. Præter mixturam poterit præscribi syrupus.

R. Oxymell. ad. dyspnæ :

Syrup. de hyssop. an. 3i.

Flor. sulphu. gr. xv.

pul. croc. 3j.

Olei. anisi: gt. vj.

Misceantur.

Vel sumat patiens claretum in hunc modum compositum,

R. aq. vitæ 3 iiiij.

tussilag.

scabios. an. 3vj.

sacchar. 3ij.

Cinnamo. 3vj.

Macerentur, hinc trajificantur. Capiat æger 3ij. vel 3ij.

IX. Extra

INAUGURALIS.

9

I X.

Extra paroxysmum humores in bronchiis hærentes
Tunt educendi hoc vel simili decocto.

R. rasur. lign. Guajac. 3ij.
sassafras. 3vj.

Infundantur per noctem calidè in aquæ communis
libris v. dein coquantur S. A. addendo.

Rad. apii 3ij.
iridis fl.

Helen. an. 3vj.

Herb. hyssop.

botryos an. M. iij.

pulp. colocynth. 3j. vel 3ij.

passul. Enucleat. 3ij.

Liquirit. rasæ. 3ij.

f. Colatura 1b iij. cui

adde sp. vini Anisati 3ij.

Misceantur.

Ex hoc decocto vel semel vel bis quotidie bibat pa-
tiens haustum 3ij vel 4v.

vel *R. aloes lucidae.*

Gumm. Galban. solut. an. 3j.

pul. myrrhae.

croci an. 3j.

Vitriol. mart. Calcin. 3j.

trochisc. albandal. 3j.

Ol. fænic. gt. xv.

Fiat ex his massa, ex qua formentur pilulae,

B nu.

ro DISPUT. MEDIC. INAUG.

nu. xxxx. ex his singulis diebus unam sumat patiens.

Fonticulus quoquè conductit , præter illa expeſtorantia , quæ crassiorem materiam educunt ; insuper ad derivationem humoris in capite redundantis, proponuntur Errhina, sternutatoria aut apophlegmatisantia. Adhæc si ex capite descendat humor , quoque cucuphis , aliisquæ medicamentis cephalicis , caput est roborandum.

X.

In victu aër sit liber , ad calorem vergens , potus & cibi sint attenuantes , cum *majorana*, *hyſſopo* & *lauro* , aliisquæ aromatibus conditi : somnus sit moderatus. Quies Corporis & Animi. Alvus servetur laxa.



C O

COROLLARIA.

I.

*Fætum nutriri per os & per umbilicum,
palam est.*

II.

*Spiritus animales generantur in parte ce-
rebri corticali.*

III.

*Lympha non movetur à centro ad circum-
ferentiam , sed à circumferentia ad
centrum.*

IV.

Febris malignis vena sectio nocet.

F I N I S.

Docto morumque integritate ornatissimo

V I R O J U V E N I

D. JOHANNI MOLENAAR.

 ELLE suum cuique est, dicit sua quemque
voluptas:

Hic patrios sedes, terras amat ille repostas:
Alter gaudet equis, hunc alea decoquit: illum
Exhilarat mollem Veneris conscendere lectum.
Sed quod VELLE tuum est MOLENAAR? quæ meta vo-
torum?

Harpen Apollineum Sophiæ perculsus amore
Pulsa? Plato tuas quandoque demitigat aures?
Quid rogo surdafter? satis hoc tua themata clamant:
Omnia consilio divino subjicis acta,
Verum est: at quid agis Juvenis? res ardua: multos
Amphytrioniadas hostes ad prælia mittis.
Macte tamen; pro ut hostis eo victoria major:
Laurea magna datur si dejicis impiger hostem.
Macte animi: clypeum (pulsa formidine) sumens
Intentata suis dominis fac tela retundas.
Tunc tibi victori cantabit buccina laudis;
Et pandent Helicona viri, cantusque movebunt.

Amore

More

Ore

Re

Cecinit. H. M O L L.